



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt XCV. S. Benedicti monasterium Olisiponense, in Portugallia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

riores, Dauentriense, Hulsbergense, Gronin-  
gense, Vitraiectinum, Bruxellense, siluidu-  
cense, Gandense, Cameracense & alia. Ad  
Hulsbergense quod attinet, situm illud fuit in  
Velania apud Hattemum, munitum Geldria opi-  
dum, quod Isala fl. impositum quarto astat à Da-  
uentria milliari. Quod quidem cœnobium, Hen-  
rico Bauaro, Ultraiectensi Episcopo consentiente,  
à Carolo Egmundano Geldria Duce bellicosissi-  
mo, & Catholica religionis augenda, atque ad-  
uersus hereses, id temporis exsurgentes, stabilien-  
da studiosissimo, anno millesimo quingentesimo vi-  
cesimo quinto, die VII. Maij, in monasterium  
ordinis S. Benedicti est commutatum. Abbas ve-  
rò eius loci primus, anno eodem, XIII. die men-  
sis Maij, electus est Paullus Becanus, presbyter,  
& Benedictini instituti vetus assecla, monachis  
aliquot aliunde euocatis.

An. 1525.

Porro fratres Hieronymiani, cum indicta caus-  
sâ monasterio sese pulsos quererentur, defuncto  
Carolo Duce, postliminidè pristinum in locum sunt  
restituti.

## CAPVT XCV.

S. Benedicti monasterium Olisiponense, in  
Portugallia.

**E**st hoc monasterium in vrbe Olisiponensi  
an. 1566. exstructum, à quo reformata

Lusi-

Lusitanæ Congregatio, nomen *s. Benedicti de Olisipona* accepit. Cuius quidem congregationis primus auctor fuit *Iacobus de Murcia* Ordinis *S. Hieronymi, & S. Nicolai* in Portugallia Abbas commendatarius, qui anno 1549. obtentâ à Paulo III. facultate Ordinem Benedictinum ad veterem disciplinam reuocauit. Reformationis suæ fundamenta iecit Conimbricæ, in qua vrbe an. 1555. nobile monasterium excitauit, & iuuenes duodecim sub regula *S. Benedicti* alendos atque institutos collegit: qui postmodum virtute ac doctrina crescentes congregationem istam admodum illustrem reddiderunt.

1540.

Fauit huic sacro instituto in primis *Sebastianus* Portugalliæ Rex, & *Henricus* Infans *S. R. E.* Cardinalis, qui an. 1566. à Pio V. Facultatem impetrarunt, Abbatias Portugalliæ vacaturas huic nouellæ congregationi adiungendi.

Idem anno eodem in vrbe Olisiponensi, regni totius metropoli amplum ac magnificentum *S. Benedicti* Cœnobium à fundamentis excitarunt; & ab eo congregationem istam *S. Benedicti de Olisipona* nomen trahere voluerunt.

CAP.